

2

THESES I.



Impurum illum & impro-
 bum Spiritum inter sancta Jehova ope-
 ra sua indefinenter etiam spargere Ziza-
 nia, variae ejus machinationes testantur,
 quibus id Vitae genus scelerate infestas,
 quod à DEO in Paradiso solenniter est in-
 stitutum, sub exordio N. T. à Christo lu-
 culenter cohonestatum; in quo S. Patres inculpate vixerunt;
 adoranda mysteria Apostoli quaesierunt. Sanctum dico Conju-
 gium quod atroci scelere nunquam non conspurcare annisus est.

II. Hinc non tantum alios, quibus nefarias pollutiones absq[ue]
 flagitio esse persuasit, libidinum flammis in transversum torques
 & rapit, ut ἀπηληκότες seipsos impudicitiae in omnis immundi-
 tiae operationem tradant Eph. 4. 19. sicq[ue] corpora sua in semetipsis
 fœdent & τὰ μὴ καθήκοντα perpetrent Rom. 1, 24. & 28, sed & Si-
 monianos, Nicolaitas & Carpocratianos horrenda impulit
 nequitia, ut promiscua confusione, & detestanda fœminis indif-
 ferenter utendi turpitudine sese polluerent.

III. Ex quo ipso impulsu Matrimonium tanquam à Sata-
 na profectum blasphemarunt Marcion & Saturninus; commen-
 titiae obtentu sanctimoniae damnarunt Encratitae & Manichaei;
 temere & violenter solverunt Montanistae & Priscillianistae;
 quibus similes Tertullianistae & Hydroparastatae, non solum
 cum Catharis & Novatianis secundas, sed & primas nuptias
 ex stupro constare somniarunt; Severiani & Andronici mulie-
 rem totam; Viri verò partes ab umbilico inferiores à Diabolo
 esse creatas impie eructarunt; Alij, fœditatem Onan imitati
 detestati.